

CCII.

1626. die 6. Aprilis Viennae.

Ferdinandus II. Rex aliquorum negotiorum Regni Slavoniae causa commissionem mittit, cui regnicolas parere jubet.

Ferdinandus Secundus, Dei gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae &c. Rex.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles, Magnifici, Egregij et Nobiles, Fideles nobis dilecti. Quae Majestati Nostrae tam in literis ad nos datis demisse perscripsistis, quam etiam per Honorabilem Benedictum Vinkovich, Praepositum Majorem et Canonicum Ecclesiae Zagrabiensis nunciastis, in negotio Commissionis Sclavoniae suscipiendae et prosequendae, ex relatione ejusdem clementer intelleximus. Ad constituendum itaque pacatum statum in partibus istis, ac ut ordinationibus nostris, ea in parte iteratis vicibus factis et pro executione commissionibus datis votoque Regnicolarum satisfaceret, pro nunc quoque delegatis Commissarijs nostris prosecutionem Commissionis injunximus. Non dubitamus, quin superinde ab ipso Commissionis Praeside, fideli nostro nobis dilecto Reverendo Nicolao Dalos, Episcopo Jauriense locique ejusdem Comite perpetuo ac Consiliario nostro, de tempore nimirum et loco ac alijs requisitis, quatenus partes interessatae sese accomodare possint, intimationem accepturi estis. Non dubitamus etiam fidelitates Vestras in hoc negotio Commissionis eo pacto exhibituras esse, ut de obsequiosa accommodatione Vestra, mandatis et ordinationibus nostris declarata, benigne contenti redamur et publico Regni bono et permansioni communi consultum esse queat. Quibus etiam in reliquo gratia et clementia nostra Caesarea et Regia benigne propensi manemus. Datum in Civitate nostra Vienna die sexta Mensis Aprilis. Anno MDCXXVI.

Ferdinandus.

Stephan Sennyey,

Electus Episcopus Vacziensis.

Ex Protocollo Regni Congregationis A. 1626.